

stites observantiæ contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

« § 15. Præsentibus vero nostras litteras, et in eis statuta quæcunque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentiae, vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causæ, propter quas eadem præsentibus emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quolibet, etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicæ potestatis plenitudine sibi concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare, ullo modo posse; sed ipsas præsentibus semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit inviolabiliter et inconcusse observari.

« § 16. Sicque et non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicæ Sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacunque præminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

« § 17. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque, exemptionibus et indulgentiis, etiam in corpore juris clausis, aut litteris Apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militantibus, congregationibus, societatibus et institutis, aliisque quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibusvis verborum tenoribus et formis; et cum quibusvis etiam clausulis et decretis etiam derogatoriis

derogatoriis, et irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis; ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ad præmissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 18. Volumus insuper, et eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsentibus, et in eis contenta quæcunque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætereundum valeat, ipsas præsentibus, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiæ Sancti Joannis in Laterano, et basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, curiæ generalis Innocentianæ in monte Citorio, et in acie campi Floræ, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos ad quos spectat seu spectabit in futurum, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ et notificatæ fuissent.

« Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

« § 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majori anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVI, Kalend. Martii, pontificatus nostri anno VII.

« D. card. PASSIONEI.

« J. datarius.

« Visa de Curia.

« J. C. BOSCHI.

« J. B. EUGENIUS. »

Loco + plumbi.

Registrata in secretaria brevium.

Publicat. die 4 Martii 1747.

Quoad ea quæ concernunt culpam et pœnam male ordinantium et ordinatorum.

SUMMARIUM.

1. Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio illicite, sed valide conferuntur, et suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis. — 2. Quod illicite conferantur, et suscipiantur, ostenditur. — 3. Quod valide adhuc conferantur, et suscipiantur, demonstratur. — 4. Si episcopus ante ordinationem protestaretur se vere et absolute non habere intentionem ordinandi eos qui non habent legitimam ætatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset illorum ordinatio. — 5. Adducitur, et solvitur instantia. — 6. Si vero dubium esset de vera et absoluta intentione habita in tali protestatione, vel de mutatione intentionis prius expressæ, tunc ordinatio saltem sub conditione esset reiteranda. — 7. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium ordinum. — 8. Non est tamen ipso jure suspensus, sed solum per sententiam suspendendus. — 9. Episcopus sic suspensus a collatione ordinum, non est suspensus ab alio actu ordinum. — 10. Ordinati scienter ordinibus majoribus ante legitimam ætatem sunt ipso jure suspensi. — 11. Et si, durante tali suspensione, in eisdem ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, et, ultra alias pœnas, possunt etiam privari beneficiis ecclesiasticis. — 12. Talis suspensio est perpetua, et tandiu durat, quandiu sic ordinati absolutionem non obtinuerint. — 13. Sic suspensi ob dolose acceptos sacros ordines, et facti irregulares ob ministrationem in ipsis factam, durante suspensione, solent recurrere ad sacram penitentiarum, cum delictum est occultum, quamvis tamen possint absolvi, et respective dispensari a proprio episcopo. — 14. Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad sacrum congregationem Episcoporum et Regularium. — 15. Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora a jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam, et privandus potestate conferendi ordines, quos illicite contulit. — 16. Episcopus autem sic suspensus a collatione ordinum, a quorum ordinum collatione censeatur suspensus. Vide ibidem sub eod. numer. — 17. Ordinati scienter in sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt de facto ipso jure suspensi. — 18. Sic suspensi, et consequenter ob ministrationem facti irregulares, si talis suspensio et irregularitas sit occulta, possunt absolvi, et respective dispensari ab episcopo. — 19. Si tamen sit publica, non possunt absolvi, et respective dispensari, nisi per Summum Pontificem. — 20. Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione ordinum. — 21. Episcopus autem sic suspensus censeatur solum suspensus a collatione illius ordinis, quem male contulit, et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. — 22. Ordinati scienter ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab executione susceptorum ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. — 23. Sic ordinantes, et ordinati sine dimissoriis proprii diocesanii, possunt insuper puniri aliis pœnis, quæ assignantur. — 24. Suspensio sancita contra ordinatos sine dimissoriis, non est reservata Papæ, sed proprio episcopo. — 25. Suspensio tamen sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata Summo Pontifici. — 26. Item Summo Pontifici est

FERRAR. V.

reservata suspensio lata contra eos qui, postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciunt se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii. — 27. Item reservata est Summo Pontifici suspensio lata contra ordinatos ex sex episcopis cardinalibus prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio, quam a cardinali vicario. — 28. Ab irregularitate incursa ob administrationem in ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus Summus Pontifex; si autem sit occulta, dispensare potest episcopus. — 29. Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines titulo sustentationis, ultra grave peccatum commissum, tenetur eidem sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur. — 30. Et, ipso episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante et deinde novus episcopus. — 31. Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, domicili videlicet et originis, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. — 32. Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi, vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare. — 33. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diocesanii ordinationes habeat, et scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc ad ipsi alimenta præstanda non tenetur proprius episcopus, sed alienus. — 34. Talis obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem. — 35. Item talis obligatio incumbit episcopis solum, quando scienter sine titulo ordinant, vel concedunt aliis determinatam facultatem aliquas certas personas sic ordinandi, et sic ordinati bona fide, et absque dolo et fraude propria tales ordines susceperunt; non autem quando sic ordinati fuerint ipsi soli in culpa, et dolo. — 36. Si episcopus aliquem ordinet sine titulo sub pacto, et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a Summo Pontifice dispensetur. — 37. Si episcopus religiosum nondum professum, aut non nisi ad certum tempus, ordinet ad sacros ordines sub prætextu religionis, et absque titulo beneficii, vel patroni, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium ordinum, et religiosus sic ordinatus est suspensus ab executione ordinum, donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat, unde vivere possit; et si interim in ipsis ordinibus ministraverit, elicitur irregularis. — 38. Exciipiuntur tamen Patres Societatis Jesu, qui tria vota in societate emiserunt, quia de licentia prepositi generalis possunt ipsi promoveri ad sacros ordines absque titulo, etiam ante solemnem professionem. — 39. Promoti ad sacros ordines cum falsis et fictis titulis, sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a Sede Apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio Summi Pontificis infligendis. — 40. Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a Sede Apostolica absolutionem et dispensationem impetraverit; secundum plures alios non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus. — 41. Ordinatus eodem die ad duos sacros ordines, an sit suspensus solum ab executione ultimi ordinis, illo die recepti, vel ab executione omnium? — 42. Episcopus contereus ordines sacros absque celebratione missæ graviter peccat, sicuti et graviter peccant ipsos sacros ordines extra missam recipientes, et tam ordinans, tam

ordinati possunt gravi poena puniri. — 43. Ipsa missa debet celebrari ab eodem ordinante, nec sufficit, ut celebretur ab eodem sacerdote coram illo. — 44. Missae tamen celebratio non est de substantia ordinationis. Unde quamvis collatio, et receptio sacrorum ordium sine celebratione missae sit illicita, est tamen valida. — 45. Hinc non est reiteranda tota ordinatio, sed solum supplenda est missa ipsius ordinantis, et donec suppleatur dicta Missa, remanent suspensi dicti ordinati. — 46. Ordinans et ordinatus non expectatis temp. Interst., graviter peccant, et uterque potest a superiore puniri poena arbitr. ad n. 47. — 48. De ordinatis per saltum aliisque ad rem cum addit. ex al. man. ad n. 66.

(1. Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio, illicite, sed valide conferuntur, et suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam aetatem, aut sine litteris dimissoriis. *Communis*, quoad utramque partem. (2. Et quidem quoad primam partem, nempe quod *illicite* conferantur, et suscipiantur, est evidentissima, cum id sit contra gravem et expressam prohibitionem Ecclesiae, ut patet tot. tit. *De temporibus ordinationum*. Et eodem in 6, et cap. *Illud 1*, c. *De aliena 2*; cap. *Si quis ausus 3*; cap. *Clericos 4*; cap. *Primatus 6*, et cap. *Extraneo 7*, dist. 71; c. *Quoniam 2*, c. *Ordinationes 3*, c. *Quod a patribus 4*, et c. *Ordinationes 7*, dist. 75, cum plurimis similibus. Concil. Trid., sess. xiv, can. 2, *De reformat.*, sess. xxiii, cap. 8, et c. 13, *De reformat.*, et saepe alibi, Pius II, constit. incip. *Cum ex sacrorum*; Urb. VIII, constit. incip. *Secretis*; Innocent. XII, constit. incip. *Speculatores*, et in aliis constitutionibus variorum aliorum Pontificum; (3. Quoad secundam partem, nempe quod *valide* adhuc conferantur et suscipiantur, clare constat ex variis sacris canonibus, et signanter ex c. *Consultationi 16*, *De temporibus ordinationum*, ubi expresse definitur, quod ordinati ad sacros ordines extra tempora a jure statuta sine ullo dubio characterem recipiant, ex c. *Cum quidam 8*, c. *Quod translationem 11*, c. *Vel non est compos 14*, *De temporibus ordinationum*, c. *Saepe contingit 1*, et c. *Eos qui 2*, eod. in 6, ubi sic ordinantes et ordinati suspenduntur quidem a collatione, et respective ab executione ordinum, at non declarantur invalidae ordinationes. Et hoc quamvis in aliquibus canonibus praefata prohibentibus dicatur irrita aliter facta ordinatio, ut in cap. *Si quis ausus 3*, dist. 71, cap. *Nullus 1*, caus. 9, quaest. 2, et aliis, quia dictum verbum *irritum* intelligendum non est, quod ordinatio sit nulla et invalida in se ipsa, ita ut non recipiatur character, quia vere eum recipit, ut expresse cavetur in cit. c. *Consultationi 16*, *De temporibus ordinationum*, sed intelligendum est, quod sit sine usu licito talis ordinatio. Turrecremata, in cit. canon.; Sanchez, *Opuscul.*, l. vii, c. 1, dub. 20, n. 14; Campanil., in *Diversorio juris*, rubr. 6, c. 3, n. 18; cardinal. Petra, tom. V *Commentar. ad const. 7 Pii II*, sect. unica, n. 1, et alii passim docentes, quod neque defectus aetatis, neque defectus dimissoriarum, aut statutorum, atque hujusmodi non servata

praecipua Ecclesiae infringant validitatem ordinum collatorum, et receptorum.

(4. Si autem episcopus ante ordinationem protestaretur se vere et absolute non habere intentionem ordinandi eos, qui non habent legitimam aetatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, invalida esset ordinatio illorum, qui ordinati essent contra dictam absolutam, et veram non retractatam intentionem episcopi eos non ordinandi; deficeret enim in tali casu intentio ministri quae necessario requiritur ad validitatem sacramenti. Hinc sacr. congr. Conc. die 31 Januar. 1688 declaravit: « Nullam fuisse ordinationem quondam Simonis Tarcii, qui, confectis sibi falsis dimissoriis, accessit ad episcopum N., qui agnoscens, vel saltem dubitans dimissorias esse subreptitias, protestatus fuit in ipsa ordinum celebratione, ordines exposcenti conferre, quoties ipse sufficientem haberet aetatem, ac dimissoriae verae et non adulteratae essent. » Sic apud Monacell., t. II, tit. 13, form. 3, n. 43, et card. Petram, *loc. cit.*, n. 5, in fine.

(5. Nec valet obijcere, quod sac. congr. Conc. in una *Portalegren.* 5 April. 1704 declaravit quemdam clericum, qui falsis dimissoriis ordinatus fuerat, fuisse valide ordinatum, non obstante, quod episcopus ordinans fuisset protestatus se non habere intentionem. Non valet, inquam, quia ideo sac. congreg. declaravit validam talem ordinationem quia talis protestatio fuerat generaliter emissa a secretario, et non ab episcopo, et insuper ipse episcopus interrogatus respondit, se habuisse intentionem faciendi in ordinandis eis etsi requisitis carentibus, quod facit et mandat Ecclesia, et sic non constabat de vera et absoluta intentione negativa ipsius episcopi ante ordinationem per ipsiusmet protestationem, et quatenus adfuisse, constabat de retractatione dictae negativae intentionis in actu ordinationis per supradictam suam confessionem seu responsum. Sic card. Petra, *loc. c.*, n. 3; Monacell., l. c., n. 42, et tenent plures alii apud ipsos, alique passim. (6. Si vero dubium esset de vera et absoluta intentione habita in tali protestatione; vel de mutatione intentionis prius expressae, tunc ordinatio, saltem sub conditione est reiteranda juxta stylum Poenitentiar., de quo testatur Pignatell., tom. IV, consult. 140, n. 7; Monacell., *loc. c.*, n. 44; card. Petra, *loc. c.*, n. 6 et alii. Et sic pluries respondit sacr. congr. Conc., et signanter in *Aprutina ordinum* 11 Januar. 1710; in *Perusina ordinationis* 19 Julii 1732, et in *Ugentina* 3 Augusti 1743, apud *Thesaurum resolutionum sacr. congregationis Concilii* dictorum annorum.

ADDITIONES CASINENSES.

Præstat hic sequentia ex Benedicto XIV exscribere. *De synod. diac.*, l. ix, c. 11, n. 1 et seq.

« In Pontificali Romano habetur edictum, quo episcopus ordines collaturus, sub poena excommunicationis præcipit, ne quisquam

canonico impedimento irretitus ad ordines suscipiendos accedere audeat. Idem solent episcopi in suis synodis clarius adhuc edicere, et explicare, ac præcipue solent illorum audaciam censuris compescere, qui emendicato et ficto patrimonii titulo, quo revera carent, ad sacros ordines promoveri præsumunt. Hæc omnia laudabiliter fiunt, neque ulli sunt reprehensionis obnoxia. At plerique episcopi, his diligentis nequaquam contenti, alias superiores adhibent, quæ non omnibus probantur: solent quippe, priusquam sacrae ordinationis caeremonias incipiant, per archidiaconum, aliumve, publice denuntiare, se intentionem non habere ordinandi irregulares, censuris innodatos, carentes legitimo patrimonio, aut beneficio, vel litteris dimissorialibus proprii ordinarii, etc. Quancumque autem præsumendum sit, unicum ejusmodi protestationis scopum esse, detertere, qui aliquo ex enuntiatis vitiis laborans, ad ordines sacrilege suscipiendos se accingit; ne enim gravis peccati reus fiat, tenetur episcopus absolutam intentionem habere ordinem conferendi homini præsentī, cui manus imponit, et consueta porrigit instrumenta, quemadmodum recte animadvertunt Navarrus consil. 5, *De temporib. ordinat.*, Gobat., *Theolog. experim.*, tract. 8, num. 316, et cardin. de Lugo, *De sacram.*, disput. 8, sect. 7, num. 119, nihilominus tamen, cum prædictam protestationem ordinationi præmittit, innumeris scrupulis, et animi anxietatib. occasionem præbet, et quandoque etiam probabilis, et prudens dubitatio exinde excitatur, num revera quis fuerit legitime ordinatus, eo quod aliquo ex enuntiatis impedimentis esset obstrictus. Quare, ne cum maximo totius Christianæ reipublicæ detrimento, et perturbatione, dubii atque incerti ministri

(164) Hæc porro in cit. tract. *De sacrificio missæ*. Questio hæc versata est, et accurato subjecta examini in sac. congregat. Concilii, quæ propensior semper fuit in eam sententiam, ut invalida esset ordinatio ejus, qui cum canonico impedimento ordinem suscepisset ab episcopo, qui declarasset sibi intentionem non esse ordinandi accedentes cum ejusmodi impedimento: ut videre est in *Addit. ad Navarrum constit. 1*, *De eo qui furtive ordinem suscepit*, et quamquam non nemo dubitat, an revera exstet ejusmodi sac. congregationis resolutio, ut est apud Bossium tom. II *Moral.*, tit. 3, § 18, n. 160, tamen qui de ea dubitandum censet, vehementer fallitur; eam enim resolutionem refert celebris Fagnan., qui tot annos secretarii munere obeundo inclaruit, in cap. *Tua litteræ*, num. 15, *De clerico per saltum promotō*: atque ipsi nos eam reperimus in veteri manuscripto. Est autem ejusmodi: « Quæsitum fuit, an ordinati ante aetatem legitimam ab episcopo, qui ante ordinationem in Ecclesia publico edicto protestatus est, quod non intendebat ordines conferre, nisi iis, qui in aetate legitima erant constituti, receperint vacuum manus impositionem: Responsum fuit *ex communi sententia*, recepisse vacuum manus impositionem. Quæ resolutio edita fuit in congreg. habita die 25 Januarii 1586.... Itaque res omnis in eo est, ut ordinantis exploretur intentio; nam si episcopus non habuerit intentionem ordinandi, et in actu ordinationis non revocaverit contrariam intentionem

sacris ministeriis addicantur, præstat omnino, ut episcopus ab illa generali protestatione absteineat, quod opportune monet citatus de Lugo his verbis: « Ego quidem « usum talis protestationis nullo modo approbo: tum quia in ritibus ecclesiasticis fundamentum non habet; nam, licet in Pontificalibus antiquis et modernis apponatur formula, qua ordinandi moneantur ex parte episcopi, ne ullus accedat irregularis absque aetate, vel facultate legitima, etc., « in nullo tamen Pontificali invenitur talis « protestatio de defectu intentionis... tum « etiam quia, licet existente gravissima « causa, posset aliquando episcopus habere « intentionem sub conditione... Cæterum « ejusmodi voluntas conditionata universalis cum omnibus haberi non potest, absque gravissimis inconvenientibus propter « dubia, quæ inde oriuntur circa valorem « ordinis. » Minus itaque decet, aliquid synodo inseri, quod prædictam protestationem contineat, aut eidem æquivalet: etenim, cum synodales sanctiones sint de se stabiles, et perpetuæ, simile edictum in synodo promulgatum, incertos redderet etiam ordines ab episcopis successoribus conferendos, quamvis enim isti nihil fortasse dicant, quo significant, se non habere intentionem quemquam initiandi, qui canonico delineatur impedimento, semper nihilominus dubitari poterit an suam intentionem conformaverint synod. statuto non dum revocato.

« At quid faciendum, si re ipsa contingat, aliquem canonico impedimento ligatum ordines recepisse ab episcopo, qui eam solemnem protestationem sacrae caeremoniæ præmisit. Fusc de hac questione a nobis actum est in nostro tractatu *De sacrificio missæ*, sect. 2, § 70 (164), ubi ex sacrae con-

adversus eum, qui eum canonico defectu ad ordinem percipiendum accessit, inficari nemo potest, ordinationem fuisse nullam. Idcirco vetus resolutio anni 1586, approbata fuit a Summo pontifice in consistorio, qui etiam jussit, antequam executioni mandaretur, scribi ad episcopum, ut edicti a se promulgati formam mitteret, quo cognosci posset num episcopus revera intentionem habuerit non ordinandi eum, qui cum defectu canonico ad suscipiendos ordines accessisset. Et cardinalis de Lugo (*De sacram. in genere*, disput. 8, sect. 7, num. 119) ita scribit: « Non debet res adeo gravis dubiis exponi: unde si casus accideret, ergo sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento consulerem, et ut, si commode potest, adeat eundem episcopum, et ejusque intentionem exploret, qualis fuerit. Quod si hoc fieri per saltum promotō: atque ipsi nos eam reperimus in veteri manuscripto. Est autem ejusmodi: « Quæsitum fuit, an ordinati ante aetatem legitimam ab episcopo, qui ante ordinationem in Ecclesia publico edicto protestatus est, quod non intendebat ordines conferre, nisi iis, qui in aetate legitima erant constituti, receperint vacuum manus impositionem: Responsum fuit *ex communi sententia*, recepisse vacuum manus impositionem. Quæ resolutio edita fuit in congreg. habita die 25 Januarii 1586.... Itaque res omnis in eo est, ut ordinantis exploretur intentio; nam si episcopus non habuerit intentionem ordinandi, et in actu ordinationis non revocaverit contrariam intentionem

adversus eum, qui eum canonico defectu ad ordinem percipiendum accessit, inficari nemo potest, ordinationem fuisse nullam. Idcirco vetus resolutio anni 1586, approbata fuit a Summo pontifice in consistorio, qui etiam jussit, antequam executioni mandaretur, scribi ad episcopum, ut edicti a se promulgati formam mitteret, quo cognosci posset num episcopus revera intentionem habuerit non ordinandi eum, qui cum defectu canonico ad suscipiendos ordines accessisset. Et cardinalis de Lugo (*De sacram. in genere*, disput. 8, sect. 7, num. 119) ita scribit: « Non debet res adeo gravis dubiis exponi: unde si casus accideret, ergo sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento consulerem, et ut, si commode potest, adeat eundem episcopum, et ejusque intentionem exploret, qualis fuerit. Quod si hoc fieri per saltum promotō: atque ipsi nos eam reperimus in veteri manuscripto. Est autem ejusmodi: « Quæsitum fuit, an ordinati ante aetatem legitimam ab episcopo, qui ante ordinationem in Ecclesia publico edicto protestatus est, quod non intendebat ordines conferre, nisi iis, qui in aetate legitima erant constituti, receperint vacuum manus impositionem: Responsum fuit *ex communi sententia*, recepisse vacuum manus impositionem. Quæ resolutio edita fuit in congreg. habita die 25 Januarii 1586.... Itaque res omnis in eo est, ut ordinantis exploretur intentio; nam si episcopus non habuerit intentionem ordinandi, et in actu ordinationis non revocaverit contrariam intentionem

gregationis Concilii sententia diximus interrogandum episcopum, si sit superstes, a quo ordines sunt collati: et si is asserat suam intentionem vere alligasse præmissæ protestationi, ordinationem diximus absolute iterandam: si vero dubia, et incerta remaneat episcopi intentio, eo quod non satis constet qua mente eam protestationem emisit, et an illi revera suam aptaverit intentionem, ordinatio erit sub conditione repetenda. Quare, ad consulendum conscientiarum securitati et quieti, omnemque dubitationem de re sane gravissima removendam, cavere utique debet episcopus, ne ullus ad ordines suscipiendos admittatur, qui, diligenti præhabita inquisitione, non fuerit dignus et idoneus repertus, omnibusque ornatus qualitatibus, quæ a sacris canonibus requiruntur; at, in ipso actu collationis ordinum, opus est, ut absolutam habeat intentionem initiandi omnes et singulos sive a se antea approbatos, sive quoquo modo intrusos, qui ad illos suscipiendos accedunt, et per consuetam materiæ exhibitionem, formæque prolationem voti compotes fiunt; neque expedit, ut aliquid, ne ad terrorem quidem, tunc dicat, unde fas sit ejus intentionis defectum conjicere, aut leviter suspicari. » Sic Ben. XIV, l. c.

(7. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, suspenditur a collatione omnium ordinum. *Communis*, textu expresso in cap. *Vel non est compos* 14, De tempor. ordinat., ibi: « Prædictum episcopum (qui puerum 13 annor. in diaconum ordinavit) a collatione ordinum suspendentes. » Non est tamen ipso jure suspensus, sed solum per sententiam suspendendus. (8. Colligitur ex cit. cap. *Vel non est compos*, ubi Papa mandat prædictum episcopum per sententiam suspendi, ibi: « Mandamus, quatenus, si rem inveneritis ita esse, prædictum episcopum a collatione ordinum suspendentes, etc. » Et nullibi in jure reperitur statuta suspensio lata sententiæ contra episcopum sic delinquentem. Imo ex cap. *Sane* 2, De temporibus ordinat., cit. cap. *Vel non est compos*, et aliis juribus, est tantum suspendendus. Glossa penultima et interlinear. in Clementin. final. *De ætat. et qualitat.* Nec cit. const. Pii II incip. *Cum ex sacrorum*, suspensionem ipso jure imponentis, loquitur de episcopis male ordinantibus, sed solum de clericis male ordinatis, ut ipsam legenti patet. Et Bulla Sixti V incip. *Sanctum et salutare* infligens suspensionem, aliasque pœnas etiam contra episcopos male ordinantes, moderata est a Clemente VIII, const. incip. *Romanum Pontificem*, et redacta ad dispositionem sacrorum canonum, et concilii Tridentini, nec non citatæ constitutionis Pii II. Et sic tenent card. Petra, loc. cit., n. 32, cum Riccio, Ventriglia, et Thesaurio ibi citatis, Reiffenstuel, lib. 1 *Decretal.*, tit. 11, n. 184 et 176; Fagnan., in cit. c. *Vel non est compos*, num. 4, et alii passim.

(9. Episcopus sic suspensus a collatione

ordinum, non est suspensus ab alio actu ordinum; unde, si talis episcopus, durante illa suspensione, missam celebret, non efficitur irregularis. Abbas, in cap. *Cum dilectus*, n. 20, vers. *Si ergo suspensio*, De consuetudine; Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. *De clericis ad sacros ordines male promotis*, gloss. 2, n. 7; Reiffenstuel, loc. cit., n. 175; Fagnan., in cit. cap. *Vel non est compos*, n. 43, et alii plures.

(10. Ordinati scienter ordinibus majoribus, ante legitimam ætatem, sunt ipso jure suspensi. *Communis* hodie ac certa ex constit. Pii II incip. *Cum ex sacrorum*, ubi expresse declarat, quod « qui ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum executione ipso jure suspensi sunt. »

(11. Et si, durante tali suspensione, in eisdem ordinibus ministraverint, eo ipso irregularitatem incurrunt, et ultra pœnas, possunt etiam privari beneficiis ecclesiasticis. Sic expresse cit. const. Pii II *Cum ex sacrorum*, ibi: « Et si hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter a jure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint jure privari. »

(12. Talis suspensio est perpetua et tandiu durat, quandiu sic ordinati absolutio nem non obtinuerint, quia cum sit simplex, et indeterminata, non stat in nobis eam limitare ad certum tempus; jura enim, ubi volunt suspensionem esse temporalem, id solent exprimere, ut in cap. *Eos qui* 2, De temporib. Ordinat., in 6, cum aliis allegatis per Glossam in Clement. final., in verb. *Suspensi*, De pœnis. Unde et Pius II si voluisset suam suspensionem durare solummodo usque ad ætatem legitimam, hoc expressisset, sicuti expressit Honorius III in cap. *Vel non est compos* 14, De temporib. ordinat., arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translation. episcop., § *Sed neque istud*; c. *Qui* 22, De privileg., et cap. *Ad audientiam* 12, De decimis. Sic Fagnanus, in cap. *Vel non est compos*, n. 13; Gonzalez, *ibid.*, n. 7; Reiffenstuel, loc. cit., n. 179; card. Petra, loc. cit., n. 13, et alii apud ipsos. (13. Sic suspensi ob dolose receptos sacros ordines et facti irregulares ob ministrationem in ipsis factam, durante suspensione, solent recurrere ad sacram pœnitentiariam, cum delictum est occultum; et sacra pœnitentiaria solet concedere facultatem confessario eos absolvendi a suspensione et dispensandi ab irregularitate, cum clausula, « dummodo de præsentibus habeant ætatem, » et solet injungere dicto confessario exsequenti, ut tales pœnitentes per aliquod tempus sibi benevisum suspensos detineat ab ordinibus. Marcus Leo, in *Praxi sacra Pœnitentiariæ* pag. 3, in formul. a mala promotione ante ætatem, p. 290 et seq.; card. Petra, loc. cit., n. 23. Quamvis tamen possint absolvi et respective dispensari a proprio episcopo vigore concilii Tridentini sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 6. Vide verb. IRREGULARITAS.

art. 3, n. 7. (14. Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad sacr. congreg. Episcop. et Regul. ut de simili casu testatur card. Petra, loc. cit., n. 24.

(15. Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora a jure statuta sine dispensatione, aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam et privandus potestate conferendi ordines quos illicite contulit. *Communis* per textum in cap. *Sane*, et c. *Cum quidem* 8, et cap. *Litteras* 13, De temporibus ordinat. (16. Episcopus autem sic suspensus a collatione ordinum censetur solum suspensus a collatione illius ordinis, quem male contulit, et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius. Card. Petra, loc. cit., num. 34; Abbas, in cit. cap. *Vel non est compos*, n. 5; Fagnan., *ibidem*, num. 16; Reiffenstuel, loc. cit., num. 132, et alii passim, arg. cap. *Qualis hinc* 4, dist. 23, ibi: « Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, de quibusdam conceditur, » juncto cap. *Odia* 13, et cap. *In pœnis* 49, De regul. juris, in 6.

(17. Ordinati scienter in sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt de facto ipso jure suspensi. Sic expresse citata constitutio Pii II incip. *Cum ex sacrorum*. Unde non sunt amplius attendenda jura antiqua in cap. *Sane* 2, et c. *Quidam* 8, De temporib. ordinat., ubi censentur suspendendi per sententiam et non suspensi ipso jure.

(18. Sic suspensi et consequenter ob ministrationem facti irregulares, si talis suspensio et irregularitas sit occulta, possunt absolvi et respective dispensari ab episcopo virtute concilii Tridentini sess. xxiv, cap. 6; Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, part. II, allegat. 17, n. 14; Bonacin., *De censuris*, dip. 3, qu. 6, punct. 5, n. 5, vers. *tertio*, et alii passim. (19. Si autem sit publica, Barbosa, loc. cit., num. 14, docet non posse absolvi et respective dispensari, nisi per Summum Pontificem, et testatur sic tenere communem doctorem et nuncupatim de suspensione agentes adducit Rebuffum, Guttiercz et Bonacinam. Oppositam tamen sententiam, scilicet proprium episcopum posse ab hac suspensione et irregularitate absolvere et respective dispensare, probabiliter docent Suarez, *De censuris* disp. 7, sect. 1, n. 18; Pirhing, *lib. 1 Decretal.*, tit. 11, num. 107; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 184; Armil., verb. *Suspensio*, num. 22; Sylvester eod. verb., n. 8, vers. *tertio*; Clement., § *penult.*, verb. *Excommunicationis*, De hæretic. Papa enim Pius II in cit. const. non reservavit sibi talem absolutionem et dispensationem, adeoque hoc ipso concessisse videtur facultatem absolvendi et dispensandi episcopo, ut in simili dicitur cap. *Nuper* 29, § *In secundo*, De sentent. excomm., cum citatis a Guttier., *Canonic.*, l. II, cap. 5, a princip. Concessum enim dicitur, quod expresse prohibitum non reperitur; leg. *Nec non*, ff. *Ex quibus causis*.

(20. Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis, seu consensu sui proprii superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione ordinum. *Communis*, textu expresso in cap. *Eos qui* 2, De temporib. ordinat. in 6, et concil. Trident. sess. xxiii, cap. 8, *De reform.*, et in cit. const. Innoc. XII incip. *Speculatores*. Episcopus autem sic suspensus censetur solum suspensus a collatione illius ordinis quem male contulit et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius; *supra* n. 16.

(22. Ordinati scienter ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu sui proprii ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab executione susceptorum ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. *Communis*, textu expresso in concil. Trident., cit. sess. xxiii, c. 8, *De reform.*, et in cit. const. Innocent. XII, incip. *Speculatores*.

(23. Ultra alias pœnas arbitrio Summi Pontificis infligendas in sic ordinatos ab alieno episcopo sine dimissoriis, seu consensu proprii diocesani et in alienum episcopum sic ordinantem, possunt insuper sic ordinati puniri privatione beneficii ecclesiastici, ut expresse statuit Pius II in cit. constit. incip. *Cum ex sacrorum*; et episcopi sic ordinantes puniri insuper possunt in hoc, quod postquam eorum suspensio fuerit manifesta possint sui subditi absque ipsorum licentia interim a vicinis episcopis ordinari, ut est expresse statutum in cap. *Eos qui* 2, De temporib. ordinat., in 6, ut sic puniantur in eo, in quo deliquerunt, nempe quod sui subditi absque eorum licentia ordinentur ab illis episcopis, sicuti ipsi alienos subditos sine propriorum, seu diœcesanorum facultate ausi sunt ordinare.

(24. Suspensio sancita contra ordinatos sine dimissoriis, licet non sit reservata Sedi Apostolicæ in cit. constit. Pii II, incip. *Cum ex sacrorum*, fuit tamen reservata propriis episcopis a concil. Trident., sess. xxiii, cap. 8, *De reform.*, et a constit. Innocentii XII, incip. *Speculatores*. (25. Suspensio tamen sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata Summo Pontifici, ut expresse statuit Urbanus VIII, constitut. incip. *Secretis*. (26. Item Summo Pontifici est reservata suspensio lata contra eos qui postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciant se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, ut expresse fuit statutum per publicum edictum tempore Clementis VIII et Alexandri VII. Vide *supra*, art. 3, num. 79.

(27. Item reservata est Summo Pontifici suspensio lata contra ordinatos ex sex episcopatibus cardinalitatis prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio quam cardinali vicario. Sic expresse statuit Alexander VII, constit. incip. *Apostolica sollicitudo*.

(28. Ab irregularitate incurra propter administrationem in ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus Summus Pontifex. Campanil., in *Diversorio juris*, rub. 7, cap. 5, n. 2; cardin. Petra, loc. cit.